




Reichling 1195.
(Roma, Euch. Silber?
c. 1500)

Reichling 1195
GW 8587
IGI 3520 ma stampata da Marcello c. 1520



¶ Diuisiones decem nationum totius Christianitatis.

N Otandum q gentes Christianorum diuidunt in decem nationes videlicet Latinos. Grecos. Indos. Jacobitas. Nestorianos. Moronitas. Armenos. Georgianos. Surianos. ꝛ Mozorabes.

¶ Prima natio.

L Atini habent Papam ꝛ Imperatorem Romanoꝝ pro superioribus/ꝛ Reges multos: videlicet Regem Francie in natione Gallicana: ꝛ multos Duces ꝛ Comites.

¶ In natiõe Hyspanica sunt Reges Castelle: Legionis: Rex Aragonie: Rex Portugallie: Rex Nauarre: ac multi Duces ꝛ Comites.

¶ In natione Italica Rex Sicilie. Rex Neapolitanus: ꝛ multi Duces Marchiones ꝛ Comites videlicet Venetiarum: Florentie: Senarum: ꝛ Janue.

¶ In Germanica autem natione preter Imperatorem: qui debet esse Alemanus/sunt Reges multi; videlicet Rex Anglie; Rex Scotie; Rex Hun-

garie: Rex Bohemie: Rex Polonie: Rex Dacie: Rex Frisie: Rex Suetie: Rex Norwegie: Rex Dalmatie: Rex Croatie &c. & multi Lantgravij Duces & Comites &c.

¶ Item in insula Cypri/ Rex Cyprie. Et omnes predicti sunt obedientes Ecclesie Romane.

¶ Secunda natio.

Greci habent Patriarcham Constantinopolitanũ: Archiepiscopos: Episcopos: Abbates &c. in spiritualibus. In temporalibus Imperatorem Duces Comites Hysſbotum &c. Pauci tamen sunt nunc numero: quia Agareni & Turchi occuparunt & receperũt maiorem partem Grecie. Et isti non obediunt Romane Ecclesie: & habent errores multos: & sunt condemnati per ecclesiam: quia dicunt ꝙ Spiritus sanctus non procedit a filio: & ꝙ non sit Purgatorium.

¶ Tertia natio.

Indi sunt: quorum princeps est presbiter Joannes de indijs: huius potestas & numerus excedit omnes Christianos: Nam habet sub se Septuagintaduos Reges. Et quãdo dictus dominus

presbiter Joannes equitat semp facit portare ante se crucem ligneam. Sed quando vadit ad bellū tunc facit portare duas cruces: vnam de auro: & aliam de lapidibus preciosis.. In illa terra est corpus sancti Thome apli in maxima veneratione.

¶ Quarta natio.

Jacobite: dicti a Jacobo heretico discipulo Pr̄iarche Alexandrini. Hij in ptibus Orientis occupāt magnam partem Asie: & terram Mā-bre: que est propinqua Egypto: & terrā Ethiopie vsq3 ad Indiam / plusq3 Quadraginta regna. Hij circunciduntur & baptizantur/ & cū ferro ignito caracterum crucis imprimunt in frontibus & in alijs partibus corpis vt in pectore vel in brachijs. Hij confitentur soli deo: & nō sacerdotibus Indorum & Agarenorum. Hij dicunt in Christo esse tātum naturam diuinam. Aliqui eorū3 loquuntur lingua Caldea. Alij Arabica. Alij vero alijs linguis: fm diuersitatem nationū. Isti fuerunt condemnati in concilio Calcedoneñ.

¶ Quinta natio.

Nestoriani; a Nestorio heretico discipulo sic

vocati: qui fuit Constantinopolitanus. Hij ponūt in Christo duas personas: vnam diuinam: aliam vero humanam. Et negant beatam Mariam esse matrem dei; sed bene hominis Jesu. Hij vtuntur lingua Caldea in suis scripturis: ꝛ conficiunt corpus Christi in fermento. Hij inhabitant Tartariā ꝛ maiorem Indiam: ꝛ sunt multi numero. Terra eoꝝ continet tantum sicut Alemania ꝛ Italia. Hij heretici fuerūt condemnati in Synodo Ephesina: ꝛ fuerunt diuisi ab ecclesia Romana: ꝛ permanserunt in sua pertinacia.

Sexta natio.

Moronite: a quodā heretico Morone: qui vnum intellectum ꝛ vnam voluntatem tantum in xp̄o ponunt. Hij inhabitant Libiam in prouincia Fenicis in magno numero: prelijs edocti ꝛ experti specialiter vtuntur arcubus ꝛ sagittis: more Latinoꝝ campanis/ꝛ eorum Episcopi annulis mitris ꝛ baculis pastoralibus vtuntur. In scripturis diuinis lr̄a Caldea: ꝛ in vulgari Arabica vtuntur. Hij aliquando fuerunt sub obedientia Romane Ecclesie; nam eoꝝ Patriarcha erat in Concilio generali Lateranen̄. celebrato Rome sub In-

nocentio·iij·sed postea recesserunt· Hij primo fue-
runt condemnati in Synodo Constantinopolita-
na:postea redierunt ad obedientiam Ecclesie Ro
mane: & iterum reuersi sunt ad suam opinionem fal
sam in qua perseuerant·

¶Septima natio·

ARmeni habitāt in regno Armenie prope An
tiochiam· Hij proprium ideoma & linguā cō-
munem omnibus: & scripturas sanctas & officium
Ecclesie cantant & dicunt in vulgari lingua: ita ꝙ
ab omnibus secularibus viris & feminis intelligun
tur· Habent suū Primatem: quem vocāt Catho-
licom: cui obediūt veluti Pape cum magna deuo
tione & reuerentia· Quadragesimam ieiunant: in
qua non cōmedunt pisces: nec bibunt vinum· In
diebus tamen Veneris cōmedunt carnes·

¶Octaua natio·

GEorgiani: a beato Georgio: quem habent in
prelijs in patronū: & habitant in partibus oriē
talibus· Est populus multum pulcher fortis & de-
liciosus: Medis Persis Assuris: in quoꝝ confini
bus cō morantur valde formidosi· Vtūtur lingua

Greca. Utuntur sacramentis modo Grecorum; Clerici habent coronas rotundas in capitibus rasas: seculares vero quadratas. Et quando veniũt ad sanctum Sepulchrum non soluũt Sarracenis tributum; et ingrediuntur Hierusalem cum vexillis erectis: quia Sarraceni eos timent. Eorũ femine utuntur armis sicut viri. Utuntur pileis altis, in capitibus ad altitudinem cubiti. Et quando scribunt Soldano statim fit quod petunt.

¶ Nona natio.

Suriani dicuntur a ciuitate Sur: que est eminentior in Suria vel Assuria. Hij utuntur in sermone vulgari lingua Sarracenica: in scripturis diuinis et officio misse lingua Greca. Habẽt Epos et consuetudinẽ Grecoꝝ seruant: et eis obediunt in oĩbus: conficiunt in fermento: et habent opiniones Grecoꝝ cõtra Latinos. Hos sequunt aliqui xp̄iani / qui in terra sancta vocant Samaritani / cõuersi primo tp̄e apl'oꝝ: sed nõ bene sapiunt in fide.

¶ Decima natio.

Mozorabes: hij olim fuerunt multi numero in partibus Affrice et Hyspanie; sed modo

ſunt pauci. Sunt enim dicti Mozorabes: quia mo
dos xp̄ianoꝝ de Arabica in multis tenebant. Iſti
vtuntur in diuinis officijs lingua Latina: ⁊ obe-
diunt Romane eccleſie ⁊ prelatis Latinoꝝ. Con
ficiunt in azimo vt Latini: ſed in multis diſcrepant
a Latinis; quia in diuinis officijs habent horas
valde prolixas: quia cū dies naturalis diuiditur in
Uigintiquatuor horas diei ⁊ noctis tot officia ha
bent ſiue horas ⁊ pſalmos ac hymnos ac certas
orationes habent ⁊ nimis prolixas: quas non di-
cunt more Latinoꝝ. Nam illud quod Latini di
cunt in principio/ipſi dicūt in fine vel in medio. Sa
cramentum eucbariſtie diuidunt aliqui in ſeptem
partes: Aliqui in decem. Eſt natio valde deuota.
In matrimonio non coniunguntur / niſi perſonis
ſue gentis ſiue nationis: inter quas femina amiſſo
primo marito nunq̄ coniungitur alteri: ſed perma
net in caſtitate perpetua.

¶ Cauſa tante diuiſionis inter xp̄ianos fuit ꝙ ab
antiquis temporibus Chriſtiani fuerunt aſtricti ⁊
impediti ne celebrarent Concilia generalia; ideo
inſurgentibus hereticis in diuerſis partibus: non
fuit qui remedium apponeret.

¶ Finis.




BIBLIOTECA NAZ